DE QVIBVSDAM

PRAETORVM GALLIAE NARBONENSIS

MVNICIPALIVM

INSCRIPTIONIBVS

DISSERTATIO HISTORICA.

SCRIPSIT

ERNESTVS HERZOG.

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLXII.

I.

De praetoribus ueteris Italiae municipalibus cum Henzenius nuperrime, quae olim[1] exposuerat, denuo retractasset, nouis exemplis confirmasset, in uniuersam quam de municipalibus Italiae magistratibus instituit quaestionem recepisset[2], extitit Cauedonius Mutinensis[3] adferens ex Narbonensi Gallia inscriptionem quandam, quae anno quidem 1844 Auenione eruta sed parum adhuc inter uiros doctos cognita praetorem et ipsa municipalem indicaret, ut quod Italiae hucusque proprium habitum esset iam prouinciae quoque uideretur uindicandum. Cum uero de Aueniensis tituli lectione non ex omni parte constaret, ad confirmandum Cauedonii testimonium P. Garruccius ex schedis suis alias duas proponens inscriptiones praetorum prouinciae Narbonensis municipalium, ex Aquis Sextiis unam, alteram ex urbe, quae *Castellane* hodie appellata ciuitas Salinensis olim fuit[4], fecit, ut fuisse in Gallia praetores municipales iam non

1. Annali dell' Instit. archeol. 1846. p. 253—267. Bullett. dell' Inst. 1851. p. 186—202.

2. Annali dell' Instit. arch. 1859. p. 196—200.

3. Bullet. dell' Inst. arch. 1860. p. 208. Revue archéol. 1844. p. 479.

4. Bullett. dell' Inst. arch. 1860. p. 220.

posset negari. Neque uero, accuratius si rem inspicias, prorsus noua adtulerunt clarissimi uiri, cum et Aquensem Garruccii titulum iam apud Gruterum (p. 344, 11) inuenias et in alia quadam Gruteriana ex Narbone Martio inscriptione (61, 5) haud dubie praetoris municipalis lateat mentio. Deinde ut missa faciam quae antiquitus edita sunt, nostro quoque saeculo et Millinius in itinerario Galliae meridionalis[1] Vasiensium praetorem habet et Longius quidam, Deensis medicus, Vocontiorum ciuitatis historiam scribens et monumenta colligens Deensem praetorem in lucem protulit[2]. Cum autem insolita utique ut in prouincia haec summorum magistratuum appellatio uideri deberet, haud mirum est, quod si quis eiusmodi titulum deprehendebat, aut parum certam editoris putabat auctoritatem aut aliter rem interpretabatur. Jam uero non modo Cauedonii Garrucciique testimoniis confidenter in medio posita erat de Galliae Narbonensis quoque praetoribus municipalibus quaestio, sed etiam Italicorum monumentorum et fide confirmata et ratione perspecta quod ex illis ad inlustrandam ueteris Italiae historiam redundauerat, spem dedit, fore, ut si ex Gallia quoque prouincia plura eiusmodi monumenta possent colligi, haec etiam explanandae eius historiae lucem aliquam adferrent. Itaque cum nuper ad cognoscenda Galliae Narbonensis sub Romano imperio instituta eius regionis urbes peragrarem et inscriptiones colligerem, ad id quoque animum aduerti, ut quaecunque praetorum municipalium monumenta extarent, congererem et quae eorum fides esset et origo perquirerem. Cuius studii fructus quanquam non is est, ut multa habeam quae

1. Millin. Voyage dans le Midi de la France IV. p. 152.

2. Mémoires présentés par divers savants à l'Acad. d. Inscr. t. II. serie 2. p. 378.

prorsus noua adferam, cum praeter eas, quae aliunde sunt notae, unam tantum praetoris inscriptionem inuenerim nondum publici iuris factam, hoc tamen adsecutus esse mihi uideor, ut certius et de illis titulis et de uniuersa re possit iudicari, atque cum ii, quos proponam, tituli non ex una aliqua urbe omnes ueniant, sed ex pluribus iisque et iure et origine diuersis, haud ingratus fortasse cum ad cognoscenda uniuersi imperii instituta tum ad explicandam ipsius prouinciae historiam labor erit colligentis, quaecunque ad hanc de municipalibus Narbonensis prouinciae praetoribus quaestionem uidentur pertinere.

Ipsa autem quibus nitimur monumenta hic habeas proposita:

Narbonne (Narbo Martius).

1. In tabula marmorea reperta paucis abhinc annis Narbone in domo priuata; nunc extat in Narbonensium museo.

	lege:
C · COMINIO · C · F	C(aio) Cominio C(ai) f(ilio)
VOLT · BITVTIONI	Volt(inia) Bitutioni
PRAIT · C · I · C	prait(ori) c(oloniae) J(uliae) C(laudiae).

Descripsi. — C · I · C sigla quomodo intelligenda sint, docet Henzeniana n. 5232, ubi habes: COLON · IVLIA · PATERNA · CLAVD · NARBO · MART.

2. In lapide qui Narbone ex moenibus urbis extractus nunc extat in museo. Constat saeculo decimo sexto, regnante in Gallia Francisco I, quidquid ueterum lapidum siue inscriptorum siue sculptorum tum superfuit, ad muniendam urbem adhibitum esse. Nostra aetate qui conseruandis urbis suae monumentis optime

prospiciunt Narbonenses quidquid possunt ex moenibus extrahere et in museum inferre coeperunt.

Q·VIBIVS·Q·F·MAXVMVS·M·VARIVS·L·F
CAPITO·PR·IIVIR·ARAM·VOLCANOMACERIAQ
AREAM·SAEPIENDAM·PISCINAMQVE EX·D·D
sic
DE·PECVNIA·PVBLICA·FACE DA·COER
Q·VibIVS·Q·F·MAXVMVS·PROBAVIT

Descripsi. — Eandem Gruterus habet 61, 5 a Scaligero acceptam, sed uersus male diuisit. — u. 1. MAXIMVS Grut. u. 4. FACIENDA Grut. u. 5. VIRBIVS Grut. — u. 2. PR·IIVIR lege: *pr(aetores) duumvir(i)*.

3. Ex moenibus urbis. Desumpsi ex sylloge manuscripta, quae a Bosquetio abbate c. a. 1776 confecta in bibliotheca Narbonensi adseruatur et insigni eorum, qui bibliothecae praesunt, comitate mihi, ut exciberem, permissa est. Continet hoc manuscriptum haud exiguum numerum earum inscriptionum, quae hodie quoque in moenibus latent. In iis titulis, quos ipse conferre potui, satis diligentem inueni Bosquetium, quanquam non omnia se uidisse, sed ex aliis quibusdam manuscriptis multa excripsisse dicit.

	lege:
VS · P · F · VOLT	... us. P(ubli) f(ilius) Volt(inia)
IR · PRAETOR	... ir praetor
SEXT · IS · TESTAM·	Aquis] Sextis testam(ento)
I·IVSSIT · SIBI · ET	fier]i iussit sibi et
E·C·IPIILONCAENOR	... a]e c(oniugi) et ... onicae sor(ori)

u. 2. IR, si uere hoc in lapide est, cognomen aliquod in — 'ir' desinens uidetur indicare. cf. e. gr. '*Sacrovir*'.

Aix (Aquae Sextiae).

4. Extat Aquis Sextiis in museo. Pulchra litterarum quadratarum forma aetatem satis antiquam indicat.

SEX · ACVTIVS · VOL
AQVILA · PRAETOR

ACVTO	PATRI
INGENVAE	MATRI
SEVERAE	SORORI
RVFO	FRATRI

H M H N S

Descripsi. — Grut. 344, 11. Bouche, Chorographie et Hist. de Provence p. 157. Bullett. d. Inst. Arch. 1860 p. 220.

Avignon (Auenio Cauarum).

5. Titulus repertus Auenione anno 1844 in summa rupe, pone ecclesiam cathedralem, quae uocatur *Notre-Dame des Doms.* Extat nunc in museo Aueniensi.

	lege:
T · CARISIVS · T · F	T(itus) Carisius T(iti) f(ilius)
PR · VOLCAR · DAT	pr(aetor) Volc(ano) ar(am) dat

Descripsi. — Revue archéologique 1844. 478 sq. Cauedonius in Bull. d. Inst. arch. 1860 p. 208, qui legendum censet pr(aetor) Volc(ano), litteras autem AR initium nominis alicuius esse interpretatur, quod, nobis incognitum, Deo Volcano in illa regione inditum sit. Contra P. Garruccius et qui primus in ephemeride Gallica titulum edidit *pr(aetorem) Volcar(um)* praeferunt; atque ego quoque de Volcis Arecomicis Aueniensi agro finitimis cogitans, olim his adsentiebar. Quam supra dedi lectionem, Mommsenii est, qui litteris mecum communicatis monuit, et difficillimum esse, cogitare de prae-

tore *Volcarum*, i. e. gentis, non oppidi, et simplicius rem explicari conlata hac Gruteriana (1014, 4) reperta Albae Ruffae prope Auenionem: Q · TEREN | TIVS | VOLKANO | ARAM | L · M —

Quibus argumentis cedens non Volcis, sed Auenioni oppido, ubi repertus est, hunc titulum tribuo.

Vaison (Vasio Vocontiorum).

6. Millinii aetate extitit in aedibus domini de St. Véran, prope oppidum Nyons. Unde, qui alii ibidem congesti erant tituli, nunc in museum Aueniense inlati sunt; hunc autem non inueni neque ubi hodie sit comperi.

	lege:
T · MARCIANO · PR · VAS	T(ito) Marciano pr(aetori) Vas(iensium)

Millin, Voyage dans le Midi de la France IV. 152. Ex eo E. Breton in Mémoires de la société des antiquaires de France t. XVI p. 137.

Die (Dea Augusta Vocontiorum).

7. Deae „dans une petite cour de la maison de M. Armand, l'ancienne prison". Long.

uxORI · SANCTISSIMAE
...IVS PRAETOR · FLAMN

Long, in Mémoires présentés à l'Acad. d. Inscr. t. II s. 2. p. 378.

Ex ea quam Longius dat tituli huius imagine apparet, duorum tantum uersuum eum fuisse neque quidquam in fine uersuum deesse. Praeterea idem Longius dicit: „On voit ici, à la première ligne, entre deux palmes, l'oméga usité pour les sépultures chrétiennes. Si ce n'était la beauté des charactères, on pourrait penser que

l'épouse du flamine était peut-être de la religion nouvelle. Ce signe est gravé superficiellement". Ipse lapidem non uidi; quidquid autem id est, quod hoc modo in lapide sculptum vidit Longius, caneamus utique ne de christiana ipsius inscriptionis origine cogitemus; quod leuius signum illud lapidi insculptum dicit, postea fortasse adiectum est. Ceterum Longii et fidem et diligentiam aliis exemplis ipse expertus sum. u. 2 FLAMEN fortasse in lapide est.

Castellane, dép. des Basses-Alpes (Ciuitas Salinensis).

8. „Cippe, qui était autrefois sous le bénitier de l'églisè de St. Victor et que le prieur Laurensi, auteur d'une histoire diffuse de Castellane, fit placer dans un des angles d'une tribune, qu'il fit bâtir. Ce cippe, dont on ne peut voir que deux côtés, présente sur l'une la figure d'une hache et sur l'autre une inscription dont on ne peut distinguer qu'une partie". Henry, Recherches sur la géographie ancienne et les antiquités du départ. des Basses-Alpes. Deux. édit. Digne 1842 p. 87. Sequitur primum ea huius tituli quam ipse Henry imagine expressit, forma (planche I fig. 8):

M · SETOSIVS
MRVI//////SETO
CIVIISAI//I//SIS
PR////IOR////MO
////MAIN//M/////
Q//////B////////NO
NASM//////////////
IITON////////////M
DIEBVS///M///II
AN////////////RTO
SV//////////////////

Deinde idem Henry p. 87 hoc Laurentii illius dat apographum:

M·SETOSIVS . . . . . .
M RVFINO SETO . .
CIVIT SALINIENSIS
PRAETORIMA XI . . .
AMANTISSIMO . . . . .
QVI OBIIT PRIONO .
NASMENSIS V . . . . .
TITOVE SPASIANO IMPVIX
DIEBVS MENS . . . II
ANNO . . . IN HORTO
SVORVM

Denique in alio etiam de urbe Castellane libello (Louiquy, hist. de Castellane Marseille 1826) indicari invenio, esse 'sous le bénitier de l'église de St. Victor' inscriptionem quandam, ubi legas: *Salinienses Tiberino praetori* 'avec une hache, qui annonce le grand magistrat de la ville'. — Apparet, adeo corrosum esse lapidem, ut difficillime legatur et qui ipsum monumentum non uidit, uix conari possit omnes illos uersus restituere. Conlatis autem tribus quae dedimus apographis haec fere in primis uersibus fuisse mihi uidentur:

M · S E T O S I V S
M·F·RVFINVS QVAEST
CIVIT SALINENSIS
PRAETOR . . . .

atque ne inutilis iaceat illa et Henryi et Louiquyi 'hache', fortasse in ultimo uersu dedicationis SV[b ascia] mentionem factam esse accipias. — Eiusdem tituli partem inuenias Bull. d. Inst. 1860 p. 220.

Ipsis quas dedimus inscriptionibus pauca habemus quae de lectione uel interpretatione hoc loco adiciamus. In titulis primo, tertio, quarto, sexto agi de praetoribus, ipsa titulorum uerba diserte indicant, et municipalem horum praetorum honorem esse, non Romanum, nemo erit qui dubitet, praesertim cum ea, quam primo loco dedimus, inscriptio nominet coloniam, cui praefuit C. Cominius. Si quis autem haesitaverit num in Deensi titulo n. 7 '*praetor*' uocabulum pro cognomine potius accipiendum sit quam pro honore, ut minus id probem hac ratione inducor, quod cognomen illud equidem alibi nusquam inueni. Contra in reliquis titulis PR sigla cum de praefectis quoque possint intellegi, recte nos de praetoribus interpretatos esse, antequam hos quoque inter quaestionis nostrae documenta admittamus, breuiter hoc loco defendendum est.

Praefectorum, quales soli in Narbonensis prouinciae municipiis inueniri possunt, ut mittamus Nemausenses praefectos uigilum et armorum, quattuor sunt genera: quorum primum inuenias, si in quo municipio imperator siue qui princeps ex domo imperatoria duumuiratu sibi delato suo loco praefectum aliquem esse iubet (cf. Aes. Salpens. l. 20—25), alterum, si quem duumuir, quando ipse plus unum diem ex municipio abest, suo loco praefectum relinquit (Aes. Salp. 26 sqq.), tertium, ubi, si in quo municipio propter contentiones candidatorum magistratus ordinarii non sunt (Orelli 643), decurionum decreto praefectus aliquis nominatur, ut interea summi magistratus munus gerat; quartum denique si quem municipii summus magistratus in minora oppida, quae eiusdem muncipii territorio continentur, ut suo loco iuridicundo ibi praesit mittit, de quo genere conferas Zumpt. comment. epigr. I. 54 sq. Henzen Ann. d. Inst. 1859 p. 212. 1860 p. 86 sq. Quibus quattuor generibus hoc uides commune esse, ut qui praefectus est ordinarii magistratus uice ad tempus fungatur[1]. Iam uideamus, num quem ex his praefectis in titulis nostris possimus deprehendere. Et duo quidem ex illis generibus, primum dico et tertium, nisi adposita praefecturae caussa ac ratione nusquam accipienda esse facile intellexeris; de secundo autem genere quominus cum Zumptio (Comm. epigr. I. 315) in Q. Vibii M. Varii titulo cogites, Cominii obstat inscriptio, ubi haud dubie Narbonensem habes praetorem aetate non multum remota

1. De uariis praefectorum generibus cfr. Mommsen. Inscr. Neap. p. 480. Id. 'Stadtrechte v. Salp. u. Malaca' in 'Abhandl. d. sächs. Gesellsch. d. Wissensch.' Leipzig 1857. p. 447 sq. Henzen. in 'Annal. d. Inst. arch.' 1859. p. 212 sqq. Zumpt. Comm. epigr. I. p. 54 sqq.

ab eo tempore, cui alterum illum tribuimus; nam uterque titulus formis aeque antiquis insignis est, ut perspicuum sit, eosdem praetores duumuiros hic inueniri atque eos, quos Henzenius et in indice suo Orelliano p. 157 et in Ann. Inst. arch. 1859 p. 200 enumerat. Praeterea quoscunque eius generis praefectos, qui certo in hac quoque prouincia fuerunt, inueni, ii omnes appellantur praefecti pro duumuiro[1]. Deinde T. Carisium Auenione non praefectum fuisse, sed praetorem propterea censeo, quod praetorem uel omissa oppidi appellatione optime nominari posse credo, praefectum non credo. Ex quarto contra praefectorum genere eum esse, qui PR·VAS· uocatur, si quis cogitauerit, is quidem Longium testem possit appellare, qui ex Luco Augusti, alio Vocontiorum oppido, hanc adfert inscriptionem:

...FELIXPRAEF·VOCO[nitorum]

Verum quae singularis fuerit oppidorum apud Vocontios condicio, de eo infra erit, quod dicamus; hoc loco monuisse satis erit, litteris singularibus PR ubi in municipalibus inueniuntur titulis, quanquam interdum, ubi errari non potest, praefectus indicatur, ut in Henzeniana n. 7163, solere tamen indicari praetores, praefectos autem, id quod et illa Luci Augusti inscriptione confirmatur et Henzenius ad Orellianam n. 3868 docuit, suam PRAEF notam habere. Itaque sicut, qui primi inscriptiones nostras PR sigla habentes ediderunt, praetores in iis inuenire non dubitarunt, ita nos quoque praetorem Vasiensibus, praetorem Auenioni damus et sola epigraphica, ut ita dicam, analogia nitentes praetores municipales quodam tempore in his utique quinque Galliae

1. Cfr. de Narbone Or. 4023. de Aquis Sextiis Millin. Voy II. p. 204 de Massilia Or. 4024.

Narbonensis oppidis fuisse statuimus: Narbone, Aquis Sextiis, Vasione, Deae Augustae, Auenione, sextam adieere eiuitatem Salinensem lectione adeo ineerta dubitantes. Attamen recte de harum inseriptionum leetione nos iudieasse tum demum uiris doetis uere probatum iri uolumus, eum adlatis historieis argumentis quid omnino sibi uelint municipales in Gallia Narbonensi praetores ostenderimus.

II.

Praetorum municipalium institutum quid trans Alpes significet si quaerimus, eum et prius in Italia fuerit hoe magistratuum nomen et extra Italiam Galliamque Narbonensem alibi nusquam hucusque repertum sit, quae in Italia sit eorum ratio, quae origo, ante omnia est uidendum. Cum uero Italieorum praetorum monumenta uiri doeti iam examinauerint et quid de ipsis praetoribus inde eruendum sit, optime statuerint, ne acta ab aliis denuo agamus, illi quae in lucem protulerunt breuiter complecti hoe loeo satis habemus. Commemorantur autem praetores munieipiorum et apud auctores et in inseriptionibus[1]. At eum Praenestini illi apud Liuium praetores (IX. 16. XXIII. 19) non nisi ex una urbe satis remotae aetatis exempla sint, Cieero autem et Horatius de praetoribus Capuanis et Fundano ita tantum dieant (Cic. de lege agr. 2, 34. Horat. Sat. I. 5, 34), ut municipalium hominum rideant uanitatem, qui splendidum praetoris nomen sibi

1. Missos facio nummos; quanquam enim qui in assibus illis Lucerinis nominantur magistratus, recte ab Heuzenio (Ann. d. Inst. 1859. p. 197) praetores appellari persuasum habeo, tamen huc non pertinent, quod ipsum honoris nomen ibi non indicatur. Ceterum egerunt de praetoribus Italiae municipalibus Henzenius l. supra (p. 1.) cit. Mommsen. Roem. Gesch. 1, 315 f. (2. Aufl.)

adrogauerint, si recte de huius in municipiis Italicis honoris indole iudicare uis, ad inscriptiones ante omnia debes recurrere. Et primo quidem loco statuendum est, praetores, ubicunque inueniuntur, ea ratione esse institutos, ut et summi sint magistratus et semper sint duo et eligantur annui. Duos autem praetores sicut, antequam consules Romae fuerunt, apud Romanos summae rerum praefuisse constat, ita idem nomen in municipiis antiquitus latinis ita inuenimus, ut quaecunque eorum non dictatores habuerunt, a praetoribus recta fuerint; unde conclusit Mommsenius (Roem. Gesch. I. 315 sq.), Romanos, quo tempore regibus exactis praetores apud se instituissent, eodem, cum superior tum in foedere latino romana res esset, ad suae reipublicae formam reliqua latini nominis municipia transformasse. Deinde quia praetorum titulos tam ex antiquissimis latini nominis coloniis habemus, ut Signia et Setia, quam ex Anagnia, Capitulo Hernicorum, Ferentino siue ex oppidis Hernicorum, quos, quanquam non proprie in foederis Latini societatem recepti sunt, arctissime tamen huic foederi coniunctos esse constat, quia denique praetores inuenimus et in quibusdam coloniis ciuium romanorum, ut in Picenati colonia Castro Nouo, et Cumis, quod etiam ante bellum Marsicum plena ciuitate romana donatum est municipium, recte suspiceris, Romanos ante bellum Marsicum, quotiescunque ciuitatem aliquam siue colonia erat siue oppidum antiquitus conditum ita in imperii sui societatem recipiebant, ut proprios ei concederent magistratus, talem ciuitatem ad antiquam illam formam constituisse, quam olim post exactos reges foederis latini municipiis communem dederant, cuius formae una pars in eo erat, ut praetores appellarentur summi magistratus. Atque cum pridem Romani consules habere et in tam multis aliis rebus per

patriciorum plebeiorumque contentiones peculiarem suam reipublicae constituendae formam sequi coepissent, et simpliciora illa antiqua instituta et praetorum nomen conservata semper sunt in antiquis latini foederis municipiis. Deinde postquam Romanorum imperium paullatim per omnes Italiae regiones propagatum est et cum imperio eadem semper respublicas constituendi forma, hanc ipsam ueterem latinorum municipiorum formam recte archetypum quoddam et normam dicas reipublicae Italico more constitutae. Insigni autem prae ceteris exemplo, qua ratione peregrina urbs paullatim ad hanc Italicam normam conformata sit, ex Cumanorum uides historia, quippe quibus, Graecae originis colonis, cum deperdita libertate anno U. C. 416 primum ciuitas sine suffragio data esset (Liu. VIII. 14), aliquanto post, anno 574, petentibus permitteretur, ut publice latine loquerentur (Liu. XL. 42), postremo autem, idque ante bellum Marsicum, et plena ciuitas concederetur et cum ea haud dubie praetorum illud nomen, quod in titulo Cumano apud Orellium n. 2263 uel anno p. Ch. n. 289 inuenitur[1]. Post Marsicum autem bellum siue inde ab aetate Sullana Romanos in constituendis Italiae municipiis hac ratione constat usos esse, ut dissoluto, quidquid ueterum inter urbes Italicas foederum supererat, in uniuersa quae tum erat Italia municipia ciuium romanorum ad illam ipsam constituerent formam antiquam, suos cuique proprios magistratus concedentes, id autem commutantes, ut pro insigniore praetorum honore modestius duumuirorum uel quattuoruirorum nomen praescriberent. Nihilo uero minus pauca quaedam muncipia uetus praetorum nomen

1. Cfr. quae de Cumis adfert Mommsen. Gesch. des Roem. Münzwesens. Berlin 1860. p. 336.

etiam tum siue per breue solum tempus siue per imperatorum quoque aetatem conservasse hae ipsae, quibus in hac quaestione nitimur, docent inscriptiones. Denique si quo in municipio, ut Abellini, Grumenti, Telesiae commemorantur praetores duouiri siue Hispelli praetores quattuoruiri, nomina ibi magistratuum uetus nouumque coniuncta esse facile intellexeris et in his quoque municipiis praetorum nomen antiqui temporis reliquias quasdam esse recte concludas.

Si quis vero ab hac posteriore aetate proficiscens cum de nominis tantum discrimine hic agatur, minimi momenti omnem hanc quaestionem esse iudicauerit, uidetur obliuisci, pauca haec praetorum municipalium monumenta inter tot duumuirorum uel quattuoruirorum titulos insignes remotioris antiquitatis romanae reliquias nobis esse et Italiae historiam singulari modo inlustrare. De nominis quidem discrimine agitur, at in nomine ipsam habes historiam.

III.

De Italicis praetoribus qui egerunt, eos ita quaestionem instituisse uidimus, ut primum quae cuiusque urbis origo esset quod ius quaererent, deinde quid commune esset omnibus eruerent, postremo quid de ipso praetorum nomine inde euinceretur statuerent. Nos igitur, cum eandem quaestionem de Italia in Galliam transferamus, eandem oportebit uiam sequamur ac rationem ideoque omnium primum oppida illa de quibus agimus, perlustrantes ad id animum aduertamus, cum quo quodque tempore conditum, quo iure constitutum sit, tum quae omnibus illis oppidis, quae praetores habuisse statuimus, communia

fuerint et inter se et cum reliquis eiusdem prouinciae ciuitatibus.

Primum autem locum inter omnes eas urbes et origine et iure obtinet Narbo Martius. Scimus ex Velleio (I. 15) conditum eum esse M. Porcio Catone Q. Marcio Rege coss. siue a. U. C. 636, paucis post constitutam prouinciam annis[1]. Quo autem iure fuerit, dubium non potest esse, si Ciceronem audimus dicentem (pro Font. I. 3): 'est in eadem prouincia Narbo Martius, colonia nostrorum ciuium'; atque quod idem Cicero (Brut. 43, 160. pro Cluent. 51, 140) L. Crassum adolescentem ita deducendae huius coloniae auctorem fuisse refert, ut caussae popularis aliquid adtingere uellet et quantum posset de auctoritate senatus detraheret, in eo tum Romae partium studia et contentiones stetisse demonstrauit Mommsenius (Roem. Gesch. 2, 163), ut populares quidem coloniis in nouam illam prouinciam deducendis et plebem urbanam iuuare

1. Vulgarem hic sequor opinionem, qua anno circiter 634 prouinciam trans Alpes constitutam esse accipiunt (Marquardt, Handb. d. roem. Altert. III. 1. 233. Mommsen. Roem. Gesch. 2. 162 sq.). Contra nuperrime Zumptius (Stud. Rom. p. 25) statuit, Transalpinam Galliam anno 100 a. Ch. n. a C. Mario in prouinciae romanae formam esse redactam; quod uerum esse mihi quidem neque ille persuasit iis quae de Transalpinae Galliae ante Marium historia et de C. Marii honorum cursu adfert, neque omnino probabile uidetur, eo segnitiae processisse senatus uel qualis tum erat administrationem, ut per uiginti fere annos et coloniam Narbonem et iter ex Italia in Hispaniam eo destitueret auxilio, quod in prouinciae forma positum erat. — Neque magis intellego, cur idem Zumptius (Comm. epigr. I. 313. n. 2) Narbonem a Q. Marcio consule cognomen habere contendat ideoque 'Marcium' coloniae cognomen scribendum censeat, quanquam ne una quidem inscriptio extat, ubi 'Narbo *Marcius*' legatur, complures autem ipse Zumptius l. l. p. 314 adfert, quae '*Martium*' cognomen indicant.

et quasi propriam sibi prouinciam parare studerent, contra, qui a senatus siue optimatium partibus starent, hanc deductionem quoquo modo possent tenderent impedire. Apparet autem, qui gratum aliqnid plebi urbanae facere uellet, hunc nullo modo id ei offerre potuisse, ut qui ciues romani essent, deteriore iam iure latini agros acciperent in prouincia Transalpina nondum prorsus pacata; unde necessario concludas, fieri non posse, quin pro ciuium romanorum colonia Narbonem habeamus (cf. Maduig. opusc. acad. p. 290). Iam uero cum non prorsus nouam urbem ad Ataeis ripam aedificarent Romani, immo uetus ibi Gallorum oppidum fuisse constet, quaerit Zumptius (Comm. epigr. I. 314), quaenam Gallorum indigenarum deducta colonia fuerit condicio; atque quod in celeberrima arae Augusti inscriptione (Or. 2489) coloni et incolae discernuntur, colonorum et indigenarum hoc discrimen esse interpretans illos ciuium romanorum hos latinorum iure fuisse statuit. At usitatissimo hoc colonorum uel municipum et incolarum discrimine non distingui colonos recens deductos a ueteribus incolis siue indigenis non est quod longius exponamus et satis erit hoc loco in memoriam reuocasse quae de incolis exposuit Mommsenius. (Stadtrechte v. Salp. u. Mal. p. 407). Aliud autem testimonium, unde de ueterum Narbonensium condicione aliquid statui possit, ne unum quidem inuenio; cum uero aliam in aliis coloniis ueterum incolarum condicionem fuisse ipse Zumptius doceat (l. l. 464 sqq.), quid certi in una aliqua colonia hac de re possumus statuere, si nullum est testimonium, quo nitamur? — At ipsam postea coloniam constat nouis colonis auctam esse a Iulio Caesare, qui confecto bello ciuili anno 708 per Tiberium, imperatoris Tiberii patrem, complures in Galliam Narbonensem deduxit colonias (Suet. Tib. 4. Zumpt. l. l.).

Atque iterum Zumptius p. 469 eiusmodi discrimen statuit aliquod, quo respublica quodammodo fuerit diuisa, iam uero non inter indigenas et colonos, sed inter ipsos colonos, ueteres et nouos; teste autem utitur Pomponio Mela, qui II. 5 Narbonem dicit Atacinorum Decumanorumque coloniam. Atque fieri potuisse, ut initio auctae a Caesare coloniae eiusmodi in republica Narbonensi esset discrimen, probant exempla a Zumptio l. l. adlata, neque minus concedo, posse illum Pomponii locum ita intellegi, ut ueteres a nouis colonis discerni credas, uerum quidquid id est, in inscriptione arae Narbonensis, quod monumentum quinquaginta sex post auctam a Iulio Caesare coloniam annis imperatori Augusto positum est, nullum eiusmodi discrimen inuenimus. Commemoratur in illa inscriptione plebs Narbonensis, discernuntur coloni et incolae, apparent caeremoniis tres equites Romani et tres libertini, at nihil in his inuenias, quod rempublicam in duas partes diuisam indicet; agitur ibidem de contentionibus quibusdam, at fuisse uidentur eae contentiones inter plebem et decuriones, non inter colonos ueteres et nouos vel colonos et indigenas. Quaecunque igitur inter diuersas populi Narbonensis partes intercessit ratio, caue utique ita diuisam ciuitatem cogites, ut eosdem summos magistratus universae reipublicae praefuisse neges, magistratus scilicet coloniae ciuium romanorum ibi constitutae.

Aquas deinde Sextias coloniam fuisse a C. Sextio proconsule deuicta Salluuiorum gente conditam, auctor est Liuius (epit. 61). Verum et Maduigius olim (opusc. acad. p. 290) dubitare se de coloniae iure et nomine professus est, et Mommsenius (Roem. Gesch. 2, 163) Strabonis potius uerbis insistendum censet, qui haec dicit (IV. 180. Cas.): *Σέξτιος γοῦν — οὐ πολὺ ἄποθεν*

τῆς Μασσαλίας κτίσας πόλιν ὁμώνυμον ἑαυτοῦ τε καὶ τῶν ὑδάτων τῶν θερμῶν — ἐνταῦθά τε φρουρὰν κατῴκισε Ῥωμαίων, ut uideas praesidium apud Strabonem siue castellum fuisse Aquas Sextias, non coloniam. Atque ut Strabonis potius quam Liuii testimonio utar minus me mouent, quae Maduigius adfert dicens, si coloniae ius illo tempore habuissent Aquae Sextiae, necessario futurum fuisse, ut lege Julia ciuitatem acciperent, quam eas non accepisse ex Plinio perspici, qui inter latina oppida Aquas Sextias recenseat: mouet potius Ciceronis pro Fonteio oratio, in qua ubi enumerat (I. 3), quidquid ciuium romanorum, quidquid ciuitatum foederatarum, quidquid omnino amicorum populi Romani in prouincia tum fuerit, nominat Narbonem Martium, negotiatores romanos, Massiliam, non nominat Aquas Sextias; quod facile comprehendas, si castellum tum eo loco erat, si colonia, uix comprehendas. Accedit quod Velleius (I. 15), quo loco inter ipsam coloniarum deductarum enumerationem de Sextio Calvino loquitur, de colonia eo deducta nihil dicit. Ob ea igitur, quae modo adtulimus, non modo a Sextio coloniam constitutam esse negamus, sed Fontei quoque aetate nihil aliud quam castellum ibi fuisse statuimus. Constat autem castella ut ad rem militarem ita non minus ad municipalem pertinere, reipublicae tamen iure carere[1], cuius generis exemplum habes castellanos Langenses Viturios Genuatium reipublicae adscriptos. Or. 3121. Neque vero minus constat, apud Plinium latinum oppidum esse Aquas Sextias, ideoque ius reipublicae habere. Scimus autem ex ipso Plinio, in describendis imperii Romani partibus Augusti Agrippaeque tabu-

1. Cfr. Becker — Marquardt, Handb. d. roem. Alterth. III. 1. p. 51—54. Walter, Gesch. d. roem. Rechts §. 264. (3. Aufl.)

las eum secutum esse et in eo ipso libro (III 5), quo de Gallia Narbonensi agit, Agrippam auctorem laudat; unde id utique obtinemus, iam Augusti aetate habuisse Aquas Sextias latinitatem, ideoque datam iis hanc esse eo tempore, quod interest inter M. Fonteium prouinciae rectorem et conscriptas Agrippae imperii Romani tabulas. Verum inter auctores ueteres, ubi de Galliae prouinciae rebus, quae per hoc tempus gestae sunt, agunt, altum de Aquis Sextiis est silentium. Attamen ubi tacent auctores, inscriptionum intercedit auctoritas atque duplex earum de hac re est testimonium: primum enim inuenimus '*coloniam Juliam Aquas*' Grut. 469, 1. 3. '*Aquas Julias*' Grut. 415, 2; deinde in pulcherrimo titulo Ernaginensi (Bouche I. p. 132. Prosper Mérimée, Notes d' un voyage p. 313) '*coloniam Juliam Augustam Aquas Sextias*', ut appareat, tam a Julio Caesare quam ab Augusto Aquenses coloniae suae nomen traxisse. Quanquam enim simplex Juliae coloniae appellatio ad Caesarem Octavianum quoque ante adsumptum Augusti nomen potest referri, tamen, si duo illa coloniae nomina inueniuntur, unum ad Julium Caesarem, ad imperatorem Augustum alterum pertinere ideoque utrumque de colonia bene meruisse recte concludas. Cum uero supra statuerimus ante Fonteium rectorem prouinciae Aquas Sextias reipublicae ius non habuisse, iam uero statuamus, habuisse Julio Caesare dictatore, quaeritur utrum primus Julius Caesar coloniam constituerit, an uel ante eum Latii ius in hanc regionem peruenerit. Verum quae per hoc paucorum annorum (680—696) interuallum in hac ipsa regione bella gesta sunt a C. Calpurnio Pisone (a. U. C. 688. Cic. ad Att. I. 13, 2. pro Flacco 39, 98), C. Pomptino a. U. C. 691 (Dio 37, 50. Liu. epit. 103. Mommsen Roem. Gesch. 3, 210), minime pacatam tum hanc prouinciae partem

ostendunt; praesidiorum autem loco oppida latina constituta esse ante pacatam prouinciam mihi quidem non uidetur probabile. Persuasum igitur habemus, conditam esse Aquis Sextiis coloniam a Julio Caesare, auctam commodis ab imperatore Augusto. Quod autem coloniae nomen habent Aquae Sextiae, id caue interpreteris de deducta antiquo more colonia latina. Immo hoc fere modo reipublicae ius illud oppidum credo obtinuisse: per id temporis spatium, quo praesidii loco fuerunt Aquae Sextiae, et negotiatores commercia ibi facientes et indigenae iam antea ibi degentes ita circa castellum uidentur consedisse, ut 'in municipii modum' urbs quaedam aedificaretur[1], ideoque recte Strabo et φρουράν dicit Aquas et πόλιν (IV. 180 Cas.); huic igitur oppido Caesar latinae coloniae et ius dedit et nomen eadem fictione, qua Transpadanis olim latinitatem dederat Cn. Pompeius Strabo (cos. 665, cfr. Mommsen Roem. Gesch. 2, 238). Eodem modo Nemausus, quo nunquam coloni deducti sunt, tamen hoc nomine appellatur tam in nummis[2]) quam in inscriptionibus, neque aliter intellegas, quod in titulis latinorum quae Plinius nominat oppidorum coloniae appellatio deprehenditur.

Aquarum Sextiarum mentionem sequitur apud Plinium oppida latina recensentem A u e n i o C a u a r u m, ut appareat, Augusti aetate Latii ius Auenionem habuisse; eandem uero urbem cum Stephanus Byzantinus (s. h. u.) πόλιν Μασσαλίας, Massiliensium oppidum appellet, quaeritur quo modo auctores hi inter se possint conuenire. Nimirum ita, ut quo tempore Massiliensium esse desiit Auenio, oppidum latinum factum esse censeas. In de-

1. Cfr. Tac. Hist. I 67 et quae idem de Castris Veteribus dicit IV. 22.

2. De la Saussaye, Numismatique de la Gaule Narbonnaise p. 154 sqq. n. 5.

finienda autem aetate, qua intercesserit haec commutatio, quanquam neque auctores neque quas equidem cognosco inscriptiones nos iuuant, satis certa tamen habemus argumenta. Constat enim Massiliam, postquam usque ad annum U. C. 705 continuo in populi Romani amicitia fuit et plus semel agro a Romanis aucta est (Caes. B. C. I. 35), cum Pompei partes contra Caesarem secuta esset, illo anno a Caesare captam esse et maxima territorii parte multatam (Caes. B. C. II. 22. Dio 41, 25), neque dubium est, quin ab illo ipso tempore ab eademque caussa repetenda sit Nemausi coloniae origo (cfr. Mommsen Roem. Gesch. 3, 533. n. 2). At quo tempore Nemausensis ager Massiliensibus ademptus est, eodem pro certo habeo ademptam esse Auenionem; cum enim neque ante Caesarem Massiliensibus quidquam adimeretur, neque sub Augusto esset, quod denuo inminuerentur, Caesar tantum restat qui ademerit capta Massilia. Neque solum Auenionem, sed eodem modo Antipolim, quod, cum idem antea Massiliensium fuisset, latinum oppidum Plinius dicit, ius reipublicae siue latinitatem tum accepisse persuasum habeo; atque quod Caesar (B. C. I. 35) agros et Volcarum Arecomicorum et Heluiorum publice a Pompeio Massiliensibus concessos dicit, idem autem Caesar, ut Nemausum conderet coloniam, rursus Volcarum agrum Massiliae ademit, num credibile est, Heluios qui remotiores a Massilia in finibus prouinciae erant, in Massiliensium dicione esse relictos? Immo cum apud Plinium Alba quoque Heluiorum inter latina sit oppida, hanc quoque a Caesare latino iure constitutam et Heluiorum etiam agrum Italico more descriptum esse censeo.

Restat ut de Vasionis et Deae Augustae iure quid statuendum sit exponamus. Est utraque urbs in finibus Vocontiorum, qui inter Drac quod hodie est,

Isaram, Druentiam flumina sedes suas habebant. Dicit autem Plinius (III 5) de Vocontiis haec: *Vocontiorum ciuitatis foederatae capita duo, Vasio et Lucus Augusti; oppida uero ignobilia XIX sicut XXIV Nemausenibus adtributa.* Inter ignobilia igitur XIX oppida Deam Augustam relegat uetus auctor, contra Vasionem et ille caput Vocontiorum dicit et Pomponius Mela (II. 5) inter opulentissima Galliae Narbonensis oppida computat et Ptolemaeus (II. 9) denique solam inter Vocontios nominat. Foederatam autem si Plinius nominat Vocontiorum ciuitatem, de interno ut ita dicam ciuitatis eorum iure siue quam inter se reipublicae administrandae formam habuerint, nullo modo dicit: dicit tantum, quae inter eos et Romanos intercesserit ratio. Qualis autem erat Vocontiorum reipublicae forma? Haud dubie eadem atque omnium ciuitatum, quae Italico more constituebantur. Probant omnes illae inscriptiones, quae Vasione, Luci Augusti, Deae Vocontiorum Italica produnt instituta, probant reliqua quae adhuc extant monumenta[1]. Quae autem Italico more constituta erat ciuitas eaque foederata, necesse est non ipsam ciuitatem romanam sed ius Latii habuerit. Verum enim uero foederatae quodam modo fuerunt omnes ciuitates latinae; nam foederatos Cicero dicit idem esse quod latinos (pro Balbo 24, 54)[2]. Quid igitur interest inter Vocontios et reliqua prouinciae oppida latina, quod discernens ciuitatem illam a reliquis foederatam dicit Plinius? Nimirum id, ut latinitatem illi non ex lege acceperint sed ex foedere receperint, siue cum ceteris ciuitatibus lege daretur ius Latii atque hoc ipso ea condicio, qua foederatorum loco essent, apud

1. De quibus uide eam quam supra commemorauimus, Longii dissertationem.

2. Cfr. Mommsen, Gesch. d. röm. Münzwesens p. 310.

Vocontios primo loco fuerit foederatorum condicio a Romanis concessa et deinde ex foedere Vocontii latinam reipublicae formam in sua ciuitate introduxerint. Quod ciuitatum proprie latinarum a foederatis quas Plinius nominat discrimen, quo foederatarum condicio apud illas ipsum id fuerit, quod datum est, apud has forma, qua aliud quoddam i. e. ius Latii datum est, si quis honoris potius quam iuris discrimen esse iudicauerit, recte eum iudicasse non omnino negauerim, cum uix probabile uideatur, hoc foederatorum genus exemptum fuisse a proconsulis imperio in iis rebus, in quibus exemptae non fuerunt ciuitates latinae, fuerunt ciuitates liberae, ut e. g. Massilia, quae et ipsa a Plinio dicitur foederata (III. 5). At quamuis exigui momenti sit, quod interest inter latina oppida et foederatas Plinii ciuitates, est utique discrimen et hoc tantum modo explicari puto, quod Plinius plus semel (praeter hunc locum III. 3. 4. al.) proprium genus nominat ciuitatum foederatarum diuersum tam a liberis quam a latinis. Denique singulari huic Vocontiorum condicioni hoc quoque tribuas, quod non solum ubi nominantur singula oppida, Vocontiorum nomen adponitur, ut e. gr. Vasienses Vocontios habes Henzen 6943, Deam Augustam Vocontiorum Or. 4025, sed etiam qui in uariis oppidis sunt honores, quae instituta, ea appellantur non ex nomine oppidi, sed uniuersae ciuitatis, unde explicaueris Deae Augustae ciuitatem Vocontiorum Or. 2332, ordinem Vocontiorum Or. 3725, Luci Augusti praefectum illum Vocontiorum, de quo supra egimus. Verum est, ceterarum quoque huius prouinciae ciuitatum uetera nomina per omne imperatorum tempus inueniri, sed apud auctores tantum inueniuntur, non in inscriptionibus. — Dicit autem Plinius, praeter Vasionem et Lucum Agusti esse Vocontiorum oppida ignobilia XIX, sic-

ut XXIV Nemausensibus adtributa. Unde si Nemausensium XXIV oppida ita coloniae adtributa esse inueneris, ut ipsa reipublicae iure carerent, caue eodem modo omnia XIX Vocontiorum oppida eo iure credas caruisse. Nam de Dea quidem Augusta, quae latet inter ignobilia illa oppida, aperte demonstrant inscriptiones, propriam Deensibus fuisse rempublicam. Mitto illos, quos supra adtuli, titulos: hic unus pro certissimo mihi testimonio est, qui Arelate repertus nunc in museo Massiliensi adseruatur (Henzen n. 5223):

D CAECILIAE·D·F·APRVLLAE·FLAM
DESIGNATAE·COL·DEA·AVG·VOC
ΘANNOS·XLIII·M·II·D·V
MARTIVS·VXORI·PIISSIMAE·POSVIT M

Cuius tituli uersum secundum ita interpretandum esse, ut non agatur de flaminica coloniae Deae Augustae, sed de flaminica coloniae Arelatensis, designata Deae Augustae Vocontiorum, hoc nemini Zumptium (Comm. epigr. I. p. 415 n.) persuasisse pro certo habeo. Colonia igitur Dea Augusta uocatur eodem iure, quo reliqua oppida latina, atque etiamsi non inuenitur apud ueteres auctores, commemoratur tamen in itinerariis et Antonini (p. 357 Wess.) et Hierosolymitano (p. 554 Wess.). Constat autem Lucum Augusti, quod alterum Vocontiorum caput est apud Plinium, a Fabio Valente, Vitellii legato, anno 69 p. Chr. incendio esse deletum (Tac. Hist. I. 66), atque si quem supra dedimus praefecti Vocontiorum titulum Luci repertum recte ad hoc oppidum referimus atque comparamus, quod in itinerario Hierosolymitano simplex mansio est Lucus, ciuitas dicitur Dea, ex illa clade tam non ad pristinam dignitatem Lucus uidetur esse restitutus, ut quae huius antea fuerat dignitas, ad Deam trans-

ierit, et praetorum siue duumuirorum loco quod olim caput fuerat Vocontiorum, iam ignobilium et minorum oppidorum instar praefectos habuerit missos a proximae reipublicae summis magistratibus. Ceterum concedo, hoc unum inscriptionis iam deperditae fragmentum non tam certum testimonium de Luci condicione esse, ut aliter quam coniecturae loco hanc opinionem proponam. — De tempore autem, quo ad Italicum morem oppidis et uicis descripta sit Vocontiorum ciuitas, si nomina oppidorum conferimus, non potest dubitari. Appellatur Vasio '*Iulia Augusta Vasio Vocontiorum*' Henzen 5222; de Dea *Augusta*, et de Luco *Augusti* non est quod moneamus; Vicus denique *Augusti* (Or. 4029)[1], qui XXIII milibus passuum abest a Dea (Itin. Ant. p. 358 W. Hieros. p. 554 W.) ad hunc usque diem memoriam conseruauit Augusti nomine '*Aouste*', quod qui hodie hoc loco est uicus habet. Imperatori igitur Augusto tribuendus est honor constitutae ad formam latinam Vocontiorum ciuitatis atque id tantum oportet teneamus, nihilo minus fieri posse, ut initia constituendi iam a Iulio Caesare sint facta. Quae initia ut reuera repetamus a Caesare mouet Allobrogum finitimorum ratio. Allobrogum enim rempublicam ita constat esse constitutam, ut caput ciuitatis haberent Viennam, quam incolebant ciuitatis principes, reliqui autem per uicos habitarent[2]; quorum no-

---

1. Errat Orellius, si Bimardium (prolegg. ad Murat. 112, 1) sequens Allobroges dicit Vicanos Augustanos, cum Vocontii sine dubio fuerint. Neque magis credo quattuoruirum, quem ille titulus habet, Vici Augusti magistratum fuisse.

1. Strabo IV. p. 186 Cas.: *Ἀλλόβριγες δὲ μυριάσι πολλαῖς πρότερον μὲν ἐστράτευον, νῦν δὲ γεωργοῦσι τὰ πεδία καὶ τοὺς αὐλῶνας τοὺς ἐν ταῖς Ἄλπεσι, καὶ οἱ μὲν ἄλλοι κωμηδὸν ζῶσιν, οἱ δ' ἐπιφανέστατοι τὴν Οὐίενναν ἔχοντες, κώμην πρότερον οὖσαν, μητρόπολιν δ' ὅμως τοῦ ἔθνους λεγομένην κατεσκευάκασι πόλιν.*

tissimi sunt duo: Cularo, quae postea Gratianopolis erat (cfr. Léon Renier, Mélanges d'épigr. p. 67) et Genaua, quod oppidum quidem Caesar Allobrogum dicit (B. G. I. 6), pro uico autem habes in titulis, ubi qui incolunt Vicani Genauenses appellantur (Mommsen Inscr. Confoed. Heluet. 83 sq. cf. p. 11). Vienna autem apud Plinium (III. 5) colonia dicitur, et coloniam ciuium romanorum eam fuisse docent inscriptiones quoque, quae frequentissime indicant tribum Voltiniam: quis uero ciuitatem dederit Viennensibus, neque a scriptoribus refertur neque ex inscriptionibus perspicitur; tamen cum de caussa huius honoris non possit dubitari, ne de auctore quidem incerta res est. Laudat enim Caesar (B. G. VII. 65) Allobrogum in tuendis contra Vercingetorigem finibus curam et diligentiam eo magis conspicuam in iis, qui paullo ante a Romanis pacati (I. 6) magnopere a Vercingetorige, ut deficerent a Romanis, sollicitarentur. Fuit igitur, quod confecto bello fidei praemium ferrent et fuit hoc praemium ciuitas romana. Quam nec ab Augusto iis concessam esse quidquam indicat et a Iulio Caesare, cui in summo periculo fidem praestiterant, si non datam, destinatam utique esse necessario concludas. Iam uero qui Vocontiorum a septentrione finitimos ciuitate romana donauit, qui a meridie uicini erant, eos siue colonos ciues romanos siue latinos constituit, eum omnino nihil de ipsis Vocontiis in medio positis statuisse num credibile est? Immo cum Vocontiorum foederatae ciuitatis nomen eos quoque in honore apud Romanos fuisse ostendat, in Caesaris Gallicis bellis Vocontios quoque bene de illis meruisse censeo ideoque ab eo foedus illud accepisse. Tamen sicut ipsa rerum natura fert, ut non paucorum annorum spatio in morem ac consuetudinem apud Gallos transierint instituta romana, ita per illorum temporum

turbas non omnia quae Caesar instituit, uiuo eo sunt perfecta. Itaque de Vocontiis quoque dici mihi persuadeo, quod de Cauaribus, qui Rhodanum versus Vocontiis erant finitimi, refert Strabo[1], partem tantum eorum romanae reipublicae instituta recepisse. Quo propius Alpibus erant ciuitates, eo tardius ad nouam se reipublicae formam uidentur conformasse, praesertim ubi, ut in Vocontiorum ciuitate, foederata, non eadem ratione qua in reliquis oppidis, nouae formae ipsi Romani prospicere poterant introducendae; et his ergo rationibus inducti statuimus, Caesarem quidem ius dedisse Vocontiis, quo postea uterentur, contra imperatoris demum Augusti aetate aere latinis oppidis descriptum esse eorum agrum.

Hoc uero loco si breuiter complectimur quae inuenimus perlustrantes illa oppida praetorum inscriptionibus insignia, haec fere sunt quae Caesari tribuimus: dedit ius Latii Nemauso, Auenioni, Antipoli, Aquis Sextiis, dedit foedus Vocontiis, ciuitatem Allobrogibus; adde quod colonias ueteranorum deduxit Narbonem, Arelate (Suet. Tib. 4), Baeterras (Plin. III. 5. Mela II. 5), Forum Iulii (quod extitisse a. U. C. 711 docet Cic. ad fam. X. 15. 17) et Massiliensium quod postea ius esset ordinauit; adde latinis oppidis ab eo conditis, quia nomen eius habent, Aptam Iuliam Vulgientium (Plin. III. 5) et coloniam Iuliam Meminorum (Millin, Voyage II. p. 153)[2], eandem

1. IV. 186 Cas. *μετακειμένους τὸ πλέον εἰς τὸν τῶν Ῥωμαίων τύπον καὶ τῇ γλώττῃ καὶ τοῖς βίοις, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ.*

2. Est hoc nomen in fragmento inscriptionis quod Arausione olim adseruatum est, nunc extat in museo Aueniensi. Quod reliquum est hic habeas:

·M

COL·IVL·MEM·HERED·EX·TESTAMENTO

quae apud Plinium Carpentoracte Meminorum est, neque minus Forum Voconii, quod cum a Plinio oppidum uocetur latinum, Cicerone autem teste (ad fam. X. 17) a. 711 iam esset conditum, eidem Caesari tribuimus, et uide iam prouinciae Narbonensis comparans descriptionem, quid tandem restet, quod his non contineatur. Restant occidentem uersus extremi prouinciae fines in iisque oppida Tolosa et Ruscino, restant quaedam minimi momenti oppida a Plinio eodem loco, quo reliqua, enumerata, quae aut ab Augusto nomen habent ut Augusta Tricastinorum aut ignotae prorsus originis sunt, restant denique gentes Inalpinae. Et harum quidem gentium condicionem et ius, cum antea parum pacatae essent, ab Augusto demum eiusque successoribus esse constitutum notum est, adnumerandos autem iis censeo ex. gr. Reios Apollinares, quorum oppidum, Alabece Reiorum Apollinarium a Plinio appellatum, in inscriptione apud Maffeium (Gall. ant. sel. p. 61) uocatur *colonia Iulia Augusta Apollinarium Reiorum*[1], neque minus commemoranda hoc loco est *Salinensis ciuitas* Reis uicina, ad quam pertinet illa, quam supra dedimus inscriptio n. 8. Tolosam denique et Ruscinonem, quae oppida latina erant aetate Augusti (Plin. III. 5), non fuerant ante Caesarem, ab hoc constituta esse eo magis persuasum habeo, quod, qui reliquam prouinciam

Mitto miram quam de hoc titulo opinionem proposuit Millinius, cum quomodo sit interpretandus facile uideas. Quod enim restat, dimidia pars est inscriptionis monumenti, quod posuerunt heredes homini nescio cui, qui munere aliquo functus est in *col(onia) Iul(ia) Mem(inorum)*. Carpentoracte autem esse colonia Iulia Meminorum ideo mihi uidetur, quod Meminorum ciuitatem admodum exiguam duo oppida latina habuisse uix probabile est. Ceterum Carpentoracte hodie est *Carpentras* prope Auenionem.

1. Est hodie *Riez*, dép. des Basses-Alpes.

ad Italicam constituit formam, illas ciuitates quae, ut in extremis prouinciae finibus sitae, haud parui momenti erant, nullo modo potuit neglegere.

Iam uero ut de Caesare Galliam Narbonensem constituente recte iudices, haecce oportet animo perpendas: decem fere annis ante Caesarem Galliarum proconsulem eam apud Ciceronem (pro Font. I. 2 sq.) legimus huius prouinciae descriptionem, ut per totam illam inter Alpes et Pyrenaeum regionem nihil uere pacati, nihil ad romanos mores conformati deprehenderis nisi Narbonem Martium, Massilienses, cohortem illam negotiatorum et publicanorum, qui ad occupandos prouinciae saltus et agros, ad exhauriendos fenore ipsos prouinciales ex Italia in Galliam transmigrauerant, reliqua hostilia omnia, uixdum 'multo sudore ac labore sub populi Romani imperium dicionemque' redacta; atque eandem prouinciam Plinio et Strabone testibus Augusti aetate inuenimus totam descriptam coloniis ciuium et romanorum et latinorum, 'Italiam uerius quam prouinciam' (Plin. III. 5.). Deduxisse autem hanc regionem ab illo ad hunc statum Iulium Caesarem dicimus, qui non singillatim tantum modo huic modo illi oppido Italica dederit instituta, sed uno consilio, uno instituto prout ciuitatum flagitabat diuersitas suum cuique nouum ius tribuens, quae Gallica fuerant Romana reddiderit, quae barbara, ad sui populi cultum formauerit. Et uideas nunc quam bene cadant haec in eum, qui Italiae adiecit Galliam Transpadanam, in Hispania et Sicilia latinitatem propagauit (Cic. ad Att. XIV. 12. Mommsen R. G. 3, 534), ciuium romanorum municipiis quae per uniuersum populi romani imperium erant lege Iulia municipali prospexit, ulteriorem Galliam romanis institutis, romanis moribus aperuit.

Quo autem tempore Caesar hoc modo Galliam Narbonensem constituerit, id ad annum usque definire difficile quidem est, neque tamen desunt argumenta quibus nitamur. In commentariis quidem de bello Gallico frustra eiusmodi aliquid quaesiueris, atque facile est intellectu, ante domitam ulteriorem Galliam nihil in ueteris prouinciae statu esse mutatum. Contra alia constituendae prouinciae occasio tum oblata est, cum de capta Massilia fuit decernendum. Dicit autem Dio (41, 25): *καὶ ὅς (sc. ὁ Καῖσαρ) ἐκείνων (sc. τῶν Μασσαλιωτῶν) τότε μὲν τά τε ὅπλα καὶ τὰς ναῦς τά τε χρήματα ἀφείλετο· ὕστερον δὲ καὶ τὰ λοιπὰ πάντα, πλὴν τοῦ τῆς ἐλευθερίας ὀνόματος* — diserte his uerbis duo temporis momenta distinguens, quibus de Massiliensium fortuna decretum sit, quorum unum ad ipsam deditionem pertinere illud *τότε μέν* indicat, alterum posterius (*ὕστερον δὲ*) ad id tempus haud dubie referendum est, quo Caesari confecto bello ciuili ad ordinandas prouinciae res tempus suppetebat. Atque optime cum hoc Dionis loco uidetur conuenire, quod Caesar (B. C. II. 22), ubi de Massiliae deditione loquitur, non commemorat, quid de territorio Massiliensium statuerit, sed hoc unum dicit, libertate iis concessa duas Massiliae legiones praesidio se reliquisse. Quo igitur tempore de agro Massiliensium decernens Nemausum condidit et Auenionem et Antipolim, eodem reliquae quoque prouinciae eum prospexisse statuo, sicut eodem tempore, siue inde ab anno 708 ueteranorum colonias in prouinciam eum deduxisse constat.

IV.

Nunc demum ad propriam quae nobis proposita est quaestionem redeuntes quid sibi uelint in Gallia praetores municipales intellegemus. Scimus iam ex iis oppidis unde praetorum habemus titulos, unum Narbonem coloniam fuisse ciuium romanorum, reliqua omnia, Aquas Sextias, Auenionem, Vasionem, Deam, fortasse etiam ciuitatem Salinensem oppida latina; conditum autem esse Narbonem anno 636, Aquas Sextias et Auenionem a Caesare, Vasionem et Deam ab imperatore Augusto, ciuitatem Salinensem ab ignoto quidem auctore, sed nullo modo ante Caesarem. Et primum quidem id utique tenemus, sicut in Italiae municipiis praetores, ubicunque erant, ab initio admissi in societatem populi romani municipii constat esse institutos, ita in Gallia quoque, quidquid de ipsarum inscriptionum aetate statuendum est, ab oppidorum originibus repetendum esse nomen praetorum. Nam duo tantum in huius generis oppidis summorum magistratuum sunt nomina, aut praetorum nomen, aut duumuirorum siue quattuoruirorum, quorum illud haud dubie altero prius est. Deinde ad id animum oportet aduertamus, Narbonem Martium, coloniam ciuium romanorum, deductum esse triginta uel quadraginta annis antequam tota fere Italia municipiis ciuium romanorum descripta duumuiros uel quattuoruiros eorum qui antea fuerant praefectorum uel praetorum loco acciperet. Unde apparet, prorsus eadem ratione Narbone praetores esse, qua fuisse uidimus Castronoui et Cumis, neque in hac re prorsus insoliti quidquam fecisse Romanos. Contra reliqua illa oppida tum demum praetores habere coeperunt, cum in Italia praetorum municipalium institutum nihil

aliud iam fuit quam singulare quoddam ex antiquo tempore conseruatum nomen. Iam uero ipsam Galliearum ciuitatum formam post Caesarem eandem fere fuisse ac municipiorum Italicorum, ostendunt inscriptiones: etenim expressa et ipsa erat ad antiqua illa ueterum Latinorum instituta, quae per tot generum manus tradita, per tot diuersas nationes propagata terrarum orbem ad Italicos mores paullatim transformarunt. Id tantum peculiare huic prouinciae est, ut quo tempore alibi praetorum nomen prope abolitum erat, eodem in Gallia noui instituti sint praetores. Quod nulla alia ex caussa factum esse censeo quam ex Narbonis Martii exemplo, qua in colonia uetus honoris nomen eodem modo conseruatum erat, quo in Italiae quibusdam urbibus. Galliae autem prouinciae ciuitates constituenti quid propius erat Narbonis exemplo, quod solum tum in hac regione romano more formatum erat oppidum? Eadem autem ratione qua Caesar Narbonis imitatus est exemplum, Augustus cum Vasionem conderet et Deam, oppidorum a Caesare conditorum secutus est instituta, atque tam non ad paucas illas ciuitates praetorum nomen restringam, ex quibus fortuito quodam casu tituli illi ad nos peruenerunt, ut quaecunque a Caesare uel ab Augusto in hac prouincia constituta sunt oppida, in iis omnibus praetores summos magistratus fuisse censeam, quoniam ipsa rerum natura fert, ut qui eandem ubique rem instituerit, idem ubique nomen ei imposuerit. — Cum Italicarum uero rerum exemplo optime conuenit illud, quod apud Vocontios factum esse statuimus. Sicut enim supra uidimus, Romanos olim non solum latinis sociis, quorum caput Roma erat, praetores imposuisse, sed cum Hernicis quoque, qui extra nomen latinum erant, ita societatem inisse, ut eosdem, qui apud Latinos erant magistratus recipere eos cogerent,

ita quod cum Vocontiis percusserunt foedus, hac condicione uidetur factum, ut idem quod reliqua prouinciae oppida acciperent ius, eandem reciperent reipublicae formam atque hac ipsa idem praetorum quod tum ea forma continebatur nomen. — Hoc denique nomen si, quod quidem in Gallia prouincia fuit, aliunde non repetimus quam ex Narbone, hanc ipsam ob caussam Narbonensi Galliae peculiare inter prouincias fuisse putamus atque pro singulari huius opinionis documento hoc habemus, quod in celebri lege a Domitiano Malacae et Salpensae municipiis data, quam in ceteris omnibus rebus accuratam ueteris latinarum civitatum formae imaginem praebere constat (Mommsen, Stadtr. v. Salp. p. 431), praetores locum non habent, sed duumuiri sunt summi magistratus.

Postquam de origine praetorum qui in Gallia Narbonensi fuerunt municipalium diximus, superest ut quamdiu permanserit hoc nomen quaeramus; atque cum quo tempore institutum sit, prorsus alia ratione eruerimus, hoc demum loco et hanc ob caussam est, quod qua aetate conscripti sint praetorum illi tituli exponamus. In definienda autem omnium quas supra proposuimus inscriptionum aetate hoc magnopere nos iuuat, quod C. Cominii titulus coloniam Iuliam Claudiam nominans certum temporis terminum nobis praebet. Quod Narbonensis coloniae nomen cum fieri non posse credamus ut a Tib. illo Claudio, imperatoris Tiberii patre repetatur, qui Caesaris olim quaestor anno U. C. 708 coloniam auxit (Zumpt. Comm. epigr. I. 315), quoniam nemo tum praeter ipsum Caesarem coloniis nomen uidetur dedisse, ad solum imperatorem Claudium potest pertinere, qui nescio quo modo commodis coloniae prospexit. Unde consequitur primum, usque ad Claudii utique aetatem praetorum in Gallia Narbonensi nomen extitisse; deinde cum in eo-

dem C. Cominii titulo '*ai*' formam pro '*ae*' deprehendas, quae in Italia ubi inuenitur satis remotam antiquitatem indicat, apparet de eiusmodi formis antiquioribus, si in prouincia inueneris, non prorsus ad easdem normas iudicandum esse, quae de Italicis inscriptionibus ualent. Enimuero etiamsi non diserto hoc testimonio uteremur, facile intellexeris, quae in Urbe de litterarum uerborumque formis nouata erant, tardius in prouinciam peruenisse et multa, quae antiquioris aetatis fuerant, postquam in Italia abolita sunt, extra Italiam conseruata esse et in prouincialem ut ita dicam sermonem transisse. Quamobrem ne Q. Vibii M. Varii quidem titulum, quanquam '*coerare*' formam ostendit, ante imperatorum aetatem ponendum esse concedam, si qua alia ratio ad posterius tempus eum uidetur relegare, idque eo confidentius, quoniam apud Orellium n. 3693 uel anno 742 eandem hanc formam habemus. At — dicat aliquis — quo modo fit denique, ut in arae Narbonensis titulo (Or. 2489), qui ad annum pertinet 764, tam pauca uideantur antiquitatis uestigia, Claudii aetate '*ai*' pro '*ae*' inueniamus et 'coerare' pro curare etiam post Augusti aetatem admittendum credamus? Verum quod Io. Bapt. Rossium in Annalibus Instituti archeologici (1857. p. 328)[1] iudicasse inuenio, aram illam Antoninorum tempore esse refectam, quanquam qua ratione inductus ita iudicauerit ignoro, inspecto tamen ipso lapide plane inlustrissimi uiri iudicio adsentior. Atque mouet me primum litterarum forma, quae cum omnino posteriorem aetatem indicat tum maxime Narbone, cuius inscriptiones quaedam secundo quoque post Christum saeculo pulcherrimas quadratarum litterarum formas produnt. Deinde in quibusdam uer-

1. Hoc enim tantum loco illo dicit C. L. Visconti: „L'ara di Narbona sembrò al ch. Cav. di Rossi rifatta a tempo degli Antonini.“

borum formis parum sibi constat qui titulum confecit, nam I. 6 PERPETVOM habes, I. 11. II. 35 PERPETVVM; SIT I. 7. SIES II. 36; adde quod in adponendis quoque apicibus et longa I littera similis est inconstantia, maior quam ut Augusti ferat aetas, qua hae ipsae scripturae minutiae increbuerunt[1]. Quae facilius explicaueris, si eo tempore scriptum esse titulum accipias, quo antiquiora illa iam non erant usitata atque in nouum lapidem ita tantum sunt recepta, ut quaedam antiquitatis reliquiae satis negligenter adseruarentur. Itaque cum Narbonem sub Antonini Pii imperio incendio deletum esse constet (Capit. vit. Anton. c. 9), fieri potest, ut inter restaurata post hanc cladem antiquiora monumenta haec quoque fuerit ara atque arae inscriptio. — Iam uero ut ad secundum illum Narbonensium praetorum titulum redeamus, si quid certius de eius aetate iudicare uolumus, hoc uno fortasse argumento uti possumus, quod neque simplices praetores nominat, neque duumuiros, sed duplici appellatione praetores duumuiros. Concedo optime fieri posse ut eodem tempore modo praetores modo praetores duumuiri appellati sint summi Narbonensium magistratus. Sicut autem in Italiae re municipali uidemus, Hispellum primum habuisse praetores, id quod inde apparet quod postea habuit praetores quattuoruiros, deinde cum in plerisque ceteris municipiis duumuiri siue quattuoruiri introducti essent, ipsos illos praetores quattuoruiros (Henzen 7031), tum simplices quattuoruiros (Henzen ad Or. 90), postremo deducta eo colonia duumuiros (Henzen ad Or. 3885), sic Narbone quoque eodem modo factum esse puto, ut cum in Galliae Narbonensis oppi-

1. In his minoribus rebus caue Orelliano exemplari confidas, quod ex Millinio sumptum minus accuratum hic inueni.

dis duumuiros appellare coepissent magistratus, per aliquod tempus, ut et ueteris honoris memoria extaret et nouae appellationi suum esset ius, duo illa nomina in unum coalescerent ideoque medii inter praetores et duumuiros tam appellatione quam tempore interessent praetores duumuiri. Quo autem tempore haec commutatio in Gallia Narbonensi intercesserit, ideo vix potest erui, quod magistratuum municipalium tituli non eadem quibus aetas eorum definiatur praebent argumenta ac publicorum populi Romani magistratuum inscriptiones; at si uerum est, quod de praetoribus duumuiris modo proposuimus, paullo post Claudii aetatem mutata esse nomina inde concludam, quod quanquam antiquitatem remotiorem non indicant quae in hoc titulo sunt litterarum formae, tamen Claudii aetatem multo eas excedere ex reliquis quos uidi huius prouinciae titulis uix probabile mihi est; accedit, quod ceterae praetorum inscriptiones, quas ipse uidi, etiamsi in litterarum formis non eandem produnt diligentiam, tamen non solum nihil habent quod posterioris temporis originem ostendat, sed etiam omnes simplicitate quadam a posterioris aetatis titulis distinguuntur. Quam ob rem atque quod postea praetorum appellatio nusquam redit, uetustius hoc nomen quemadmodum eodem tempore in omnibus huius prouinciae oppidis uidetur esse introductum, sic eodem tempore ubique coniecerim esse sublatum. Ipsa uero mutatio utrum in latinis oppidis nominis tantum fuerit an etiam iuris, de eo hoc loco non est dicendum. Fuisse tempus aliquod uel ante Caracallam, quo nouata quaedam sint in iure oppidorum prouinciae Narbonensis, quae probare uideantur, non desunt. Verum eum quae apud Ptolemaeum de hac prouincia inuenimus, ad soluendam hanc quaestionem non sufficere persuasum habeamus, certius de hac re iudicare non possumus nisi, qui secundo p. Chr.

saeculo ciuium in his oppidis status fuerit, accuratius perspexerimus. Quod longius persequi abest ab huius dissertationis consilio, quippe quod in eo tantum sit, ut quae praetorum in Gallia Narbonensi municipalium et origo fuerit et indoles, ex historia prouinciae explicetur.